



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ij. An hæc eadem scientia, audacia, & præsumptio requiratur etiam in ingredi faciente, vel permittente virtute dictarum facultatum, vt ipse similiter contrahat pœnas supradictas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

restringenda, sed potius fauorabilis, & sic amplianda, sicuti præter alios docet Suar. in tract. de fide, disp. 20. §. 1. num. 20.

Hinc secundo, qui etiam ex ignorantia, siue iuris, siue facti, affectata operantur quodcumque aliud, non contrahunt poenam contra facere aliquid præsumentes, aut ausu temerario facientes latam, vt in casu nostro, verbi gratia qui ex ignorantia affectata violant clausuram Monialium, non contrahunt excommunicationem latam à Gregorio XIII. contra clausuram violare præsumentes; nec qui ex ignorantia affectata loquuntur cum Monialibus, contrahunt excommunicationem latam contra loquentes cum illis sine licentia Ordinarij (quæ excommunicatio similiter contra præsumentes lata est, saltem in aliquibus locis, vt Neapoli:) & ratio horum est, quia ex dictis, quamvis qui ex ignorantia affectata facit contra legem, videatur præsumere, ac ausu temerario facere contra legem, cum eligat nescire, vt liberius possit violare legem: tamen quia præsumptio, ac temeritas ista non afficit formaliter actum externum, cui principaliter poena imposita est à lege, sed afficit actum internum; sequitur quod quamvis affectans eo modo ignorare, vt liberius delinquat contra legem, possit dici præsumptuosè, ac temerè velle transgressionem legis, per modum obiecti; non tamen sequitur, quod cum facit actum externum cui principaliter poena imposita est à lege, præsumptuosè, & ausu temerario faciat contra legem; cum reuera, quando operatur, non cognoscat se facere contra legem; quare meritò non contrahit poenam contra facere aliquid præsumentes, vel ausu temerario facientes latam à lege, quamvis alij ex eodem principio (vt supra dicebam) probabiliter sentiant oppositum, quia (inquiunt ipsi) vtraque censura prædicta, cum principaliter in fauorem animarum, & Religionis lata sit, non est poenalis, seu odiosa, & sic restringenda; sed fauorabilis, & sic amplianda.

SECTIO II.

An hæc eadem scientia, audacia & præsumptio requiratur etiam in ingredi faciente, vel permittente virtute dictarum facultatum, vt ipse similiter contrahat poenas supradictas.

SUMMARIVM.

- 1 Ignorantia crassa, & supina, excepta qualibet alia minori ignorantia, non excusat à censuris latis in Motu Gregorij XIII. Prælatos & Prælatos aliquem ingredi vigore facultatum facientes, vel permittentes; excusat tamen in Bulla Pauli V.
- 2 Ignorantia etiam vincibilis, & culpabilis, modo non sit crassa, & supina, quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda.
- 3 Censura non contrahitur sine contumacia, & quodam virtuali contemptu.
Censura, seu legis Ecclesiastica contemptor esse non videtur, qui eas prædictas ignorantia ignorat.
- 4 Censuræ sunt institutæ ad medendum, non ad periculum animabus iniiciendum.
- 5 Amplia dictam doctrinam locum habere in ignorantia non tantum crassa, & supina, sed etiam in inconsideratione, & obliuione legis, vel præcepti Ecclesiastici similiter non crassa, & non supina.
- 6 Amplia non solum prædicta locum habere in ignorantia iuris, sed etiam ignorantia facti, verbi gratia si nescias Clericum esse quem percussus; & nihil refert quod deus opera rei illicita.
- 7 Ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur.
- 8 Amplia prædicta locum habere, etiam si ignorantia sit concomitans, v. g. si paratus sis percutere, etiam si scires esse Clericum.
- 9 Censura Ecclesiastica non fertur propter internam operantis dispositionem habituales, vel actuales, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem.
- 10 Ecclesia, cum non iudicat de occultis, non punit interno affectu delinquentes.
- 11 Amplia dicta de censuris procedere in irregularitate, & restituendi obligatione.
- 12 Amplia prædicta procedere in scientie etiam opus Ecclesie præcepto esse prohibitum, si tamen ignoretur ei annexam esse censuram.
- 13 Doctrina tradita de censuris, intelligi debet contra nonnullos etiam de aliis poenis, præsertim de irregularitate, quæ ex delicto contrahitur, iuxta probabilem opinionem.
- 14 Confessorius inferior potest etiam absolvere à casibus in Bulla Cæne contentis, si peccatum, quod Poenitens commisit, ignorantiam, obliuionem, vel inaduertentiam saltem non crassam, seu supinam reservationis habet.
- 15 Reservatio est veluti poena, & poenam saltem in foro externo probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta, sed solum contumax, & poena contemptor.
- 16 Delinquens vt incurrat poenam iuris positam ex delicto, non sufficit vt cognoscat, & aduertat actu opus esse peccaminosum, nec sufficit vt præterea cognoscat, & aduertat actu esse illud prohibitum à iure positivo, nisi cognoscat sub tali poena esse prohibitum.
- 17 Limita doctrinam traditam de ignorantia excusante à contrahendis censuris, non procedere in ignorantia crassa, seu supina, & multò minus in affectata, seu directè voluta.
- 18 Ignorantia voluta voluntarium culpa non minuit, quia potius malitiam directam, seu ex proposito, & dolum formalem includit.
- 19 Ignorantia crassa, & supina directam malitiam, ac dolum formalem non continet, sicut continet ignorantia affectata.
- 20 Ignorantia si sit nimis crassa in externo foro, interdum ignorantia affectata, & dolo equiparatur.
- 21 Ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccatis, excusat tamen à censura, & ceteris poenis.
- 22 Censura non incurritur ab eo, qui ex metu graui mortis, infamie, &c. transgreditur legem naturalem, si tali transgressionem sit annexa censura, licet peccet contra legem.
- 23 Censura non incurritur à contrahente, & consummante graui metu inducto matrimonio cum consanguinea, licet non mortaliter peccet.

- 24 Censura non incurritur ab eo, qui gravi metu adactus remigat in irremis Turcarum contra Christianos; quamvis ex probabili mortaliter delinquat.
- 25 Gravis metus censetur iustus & probabilis in ordine ad forum externum, & leges positivas Ecclesie; quamvis interdum spectato iure natura à peccato mortali non excuset.
- 26 Ea, quæ sunt de iure positivo ordinariæ non obligant cum tanta severitate, sicut obligant quæ sunt de iure diuino.
- 27 Textus in c. sacris, de iis quæ vi, metu &c. causæ sunt, explicatur.
- 28 Coactio, seu vis semper à censura excusat, quia simpliciter aufert voluntarium; ideoque aufert omnem culpam, consequenter & omnem poenam in culpa fundatam: at verò metus relinquunt voluntarium simpliciter, ideoque culpam omnem non aufert.
- 29 Censura vel irregularitas contrahitur ab eo qui facit actum intrinsecè malum, cui ratione alicuius circumstantiæ ea sit annexa; quamvis ob gravem metum exercens actum contra Ecclesiasticam etiam legem delinquat.
- 30 Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, si gravi metu adactus confessionem audiat, & absoluat non sine irreverentia Sacramenti, si communicet cum excommunicatis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, vel cum Christianæ Religionis detrimento, contrahit irregularitatem & poenas.
- 31 Ignorantia crassa & supina quanam sit, & affectata.
- 32 Ignorantia in communi dividitur in antecedentem, & consequentem, & quæ utraque sit, vide diffusius: ubi quando sit iusta, probabilis, invincibilis, & vincibilis.
- 33 Ignorantia vincibilis subdividitur in affectatam, & non affectatam.
- 34 Ignorantia affectata est cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, siue ob discendi pigritiam, siue ut legis obligatione ignorata excusationem habeat, vel libenter peccare possit.
- 35 Ignorantia non affectata, quæ est tantum indirectè volita, altera est crassa, lata, seu supina, ad quam scilicet tollendam nulla, vel modica adhibetur diligentia.
- 36 Ignorantia crassa, lata, seu supina est, quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur, siue quam quis facit, cum posset, & deberet, deponere negligit.
- 37 Ignorantia altera est non crassa, non lata, non supina, quæ scilicet non tam facile superari potuit, vel ad quam superandam diligentia adhibita est; sed non sufficiens.
- 38 Ignorantia non crassa, non lata, seu non supina, an sufficere possit ad culpam mortalem, sunt Doctores pro utraque sententia.

Respondetur, quod (quamvis affirmandum sit in Bulla Pauli V. in qua in ordine ad talem etiam apponuntur illa verba, *andere, vel presumere*) negari tamen debeat in Motu Gregorij XIII. in quo in ordine ad eundem non apponitur *ly andere, vel presumere*, ut patet ibi: Abbatis vero, nec non Abbatibus, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, districtè

præcipimus sub eadem excommunicationis poena, ac privationis dignitatum, & beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne Monasteria, domus, & loca sua qucuquam preextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quare Prælatos, & Prælatos aliquem ingredi virtute facultatum facientes, vel permittentes non excusabit à poenis dicti Motus Gregorij XIII. contrahendis ignorantia crassa & supina; quamvis probabiliter eos excuset qualibet alia ignorantia minor, etsi vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina; quia quando in excommunicatione contrahenda non requiritur scientia, audacia, & præsumptio, probabiliter excusat ab illa contrahenda ignorantia, etiam vincibilis, & culpabilis, modò non sit crassa, & supina.

Sic docent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez de matrimonio libro 9. disp. tat. 32. numero 31. & Diana part. 3. tractatu 5. resol. 13. & desumitur ex capite 2. de constitutionibus in 6. ibi: *Ut animarum periculis obviatur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinarium prolati, legi volumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Et ratio est, quia ad contrahendam censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contempus; in eo consistens, quod aliquis monitioni legis, vel præcepti cum comminatione tantæ poenæ parere recuset. Atqui huiusmodi Ecclesiasticæ legis, vel præcepti comminatione, si censuram ignorat ignorantia prædicta, is contumax, vel censura contemptor non videtur, *argum. l. si ignorans, ff. loc. i.* ibi: *Non contemnit disciplinam, qui ignorat: ergo, &c.* Ex quo inferitur, quod in cit. capite 2. non novum ius positivum condatur, sed id quod ipsa natura, & institutio censurarum exigit, declaratur; siquidem censurae sunt institutæ ad medendum, non ad periculum animabus iniiciendum: quapropter idem propter eandem rationem de Pontificis censuris dici debet, etsi in dict. cap. 2. de Episcoporum censuris solum mentio fiat.

Porrò tradita doctrina de excusatione à contrahendis censuris extendi debet, quod non solum locum habeat in ignorantia non crassa, & non supina, sed etiam in inconsideratione, siue oblivione legis, vel præcepti Ecclesiastici similiter non crassa, & non supina; quia ignorantia, & inconsideratio, siue obliuio æquiparantur; cum contra legem, vel præceptum Ecclesiæ contumax, vel contemptor etiam non sit, qui illud non aduertit, seu non attendit.

Secundò extendi debet, quod non solum locum habeat in ignorantia iuris, sed etiam in ignorantia facti, sicuti supra dicebam; ita ut censuram effugias, non solum si verbi gratia nescias, percussorem clerici esse sub excommunicationis poena prohibitam, sed etiam si nescias, clericum esse illum, quem percutis; capite si verò 2. de sent. excomm. & docent Gloss. in cit. l. ignorans, verb. contemnit, Couar. in capite alma, part. 1. §. 10. numero 15. Grass. 1. part. decis. lib. 4. capite 4. numero 42. Suar. de censur. disputat. 4. sect. 8. numero 12. qui numero 13. contra Sylvestrum verb. Excommunicatio, §. 6. rectè subdit, nihil refert, utrum ignorans dederit operam rei alioquin illicitæ; cum qui manus violentas in clericum iniicit, nesciens esse clericum, is operam rei illicitæ, & tamen excommunicationem non contrahit, cit. capite si verò, cuius rei ratio est, quia

quia ignorantia tollit voluntarium circa obiectum, quod ignoratur: quapropter talis non peccat contra legem, seu censuram Ecclesiae de non percutiendo clerico, quamvis aliquando à censura excommunicationis absoluitur ad cautelam, & in quantum indiget.

- 8 Tertiò extendi debet, quod locum etiam habeat, si ignorantia sit concomitans, vt censuram etiam effugias: si verbi gratia clericum percussens, nescias esse clericum, quamvis animo paratus sis eum etiam percutere, si esset clericus, vel optes esse clericum, quem percussis, & putas esse laicum. Henríquez libro 11. capite 10. in princip. in Comment. lit. A. Valsq. 1. 2. disputat. 126. numero 9. Suar. cit. sect. 8. numero 7. Sanch. de Matrim. libro 9. disput. 32. numero 26. contra Couar. cit. numero 15. Grass. cit. num. 42. & Vgolinum tab. 1. capite 9. §. 8. numero 8. & ratio est, quia censura Ecclesiastica non fertur propter internam prauam operantis dispositionem habitualement, vel actualement, sed propter externam Ecclesiastici præcepti contumacem transgressionem: at qui opus, quod operatur, Ecclesiae præcepto sub censura esse prohibitum, actualiter ignorat, contra præceptum nihil delinquit; atque adeo contra illud actualiter contumax non est: ergo, &c. Et quamvis interno affectu contra illud delinquat; cum tamen Ecclesia, vt potè quæ de occultis non iudicat, non punit, sed Deus. Vnde sequitur, quod dixi de censuris, idem dicendum esse
- 11 de irregularitate, & restituendi obligatione; cum hæc similiter non contrahantur ob prauum animi affectum, sed ob prauum externum opus, vel illati damni iniuriam: quapropter cum ignorantia obiecti, circa quod externa operatio versatur, tollat voluntarium (vt si verbi gratia inimicum occidas; putans esse ceruum) sequitur, quod tollatur iniuria, omnisque prauitas ab opere externo, & non inficiatur ab interno prauo affectu concomitanti adiuncto, ac illius operis causa non existente.
- 12 Quartò, extendi debet, quod quamvis scias opus, etiam Ecclesiae præcepto esse prohibitum, si tamen ignores, ei annexam esse censuram, adhuc censuram effugias. Sic Sila. verb. Excommunicatio 10. quæst. 3. Nauarr. cap. 29. num. 274. & lib. 3. consil. 10. numero 4. de sepult. edit. 2. Sanch. cit. disp. 32. numero 13. Suar. loc. cit. sect. 9. num. 19. Coninch. disp. 10. contra Glossam cap. a nobis, de sent. excommun. Couarru. cap. alma, part. 1. §. 10. numero 9. & Cordubam lib. 2. quæst. 25. & probatur ex cap. proposuisti, d. 82. & ex cit. cap. 2. de consuet. in 6. vbi generatim dicitur, sententiis per statuta ordinariorum prolati non ligari ignorantes; quod dictum cum sit fauorabile, retenta proprietate verborum, rectè extenditur, vt quamvis statutum scias, si tamen ei adiunctam sententiam, seu censuram ignores, ea non ligeris; præsertim cum ibi subdatur: Vt animarum periculis obuietur; & propterea cum censura poenæ medicinalis sit, & medicina non esset, sed potius obesset, si etiam ignorata contraheretur: præsertim etiam, cum nemo, (sicut dicebam) censuram contrahat, nisi aduersus Ecclesiam cum tanta poenæ comminatione aliquid præcipientis, vel prohibentis potestatem contumax actualiter sit; at contumax actualiter non est, qui Ecclesiae censuram ignorat: ergo, &c.
- 13 An autem doctrina hæc tradita de censuris, intelligenda sit etiam de aliis poenis.

Respondetur, quod (quamvis nonnulli negent, & putent id esse proprium censurarum; quippe quæ sunt poenæ medicinales, & sic idem non competat

aliis poenis; adeo quod censcant, etiam irregularitatem ex delicto reipsa contrahi, tamen delinquens eiusmodi canonici impedimenti inuincibili ignorantia laboret, eo quod talis irregularitas non contrahatur propter contumaciam, sed propter turpitudinem, seu maculam culpæ, qua criminofus secundum Ecclesiae Canonem inhabilis redditur ad altaris ministerium: tamen probabile sit etiam oppositum, vt patet ex iis, quæ dicebantur lib. de Parlamentis, dub. 4. sect. 19. coroll. 3. pag. 81. vbi dicebam, quod si quis committit peccatum, verbi gratia in Bulla Cænæ contentum, & ignorantiam, obliuionem, vel inaduertentiam saltem non crassam; seu supinam reservationis habet, in reservationem Papalem non incurrit, & sic ab inferiori Confessario etiam absolui potest, sicut ex Molina docet Sanchez loco supra cit. & ratio esse potest, quia reservatio est veluti poena, & poenam, saltem in foro interno, probabiliter non contrahit ignorans ignorantia prædicta, sed solum contumax, & poenæ contemptor; sicuti docent etiam præter Sanchez ibi supra, Nauarr. cap. 23. numero 43. & Coninch. disput. 13. numero 93. vbi propterea cum iisdem Doctoribus dicebam, quod neque contrahit quis irregularitatem ex delicto, si nesciat, vel actu non aduertat, delicto, etiam iure Ecclesiastico prohibito, irregularitatem annexam esse: & quod dico de irregularitate ex delicto, idem quoque propter eandem rationem dicebam de aliis poenis, vt non perendi debitum coniugale, inhabilitatis, priuationis vocis actiuae, & passivæ, priuationis officij, & similibus: & multò magis idem dicebam de poenis censurarum, quæ non inferuntur, nisi vt poenæ medicinales, in inobedientes, & contumaces Ecclesiae: multòque magis idem dicebam, si delinquens, quamvis aduertat, opus esse peccaminosum contra ius naturæ, non tamen aduertit, esse peccaminosum contra ius positium, seu esse prohibitum à iure positio. Itaque ad hoc, vt delinquens incurrat in poenam iuris positij ex delicto non sufficit, vt cognoscat, & aduertat actu, opus esse peccaminosum, nec sufficit, vt præterea cognoscat, & aduertat actu, esse illud prohibitum à iure positio, sed etiam sub tali poena prohibitum; id est, cognoscat, & aduertat actu supra malitiam operis, & prohibitionem, & poenam iuris positij simul: qua de re vide præter Sanchez, & Coninch. in loco supra cit. Syluest. verb. Matrimonium 8. quæst. 7. dist. 2. Paladanum in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. concl. 2. Portel. in addit. ad dub. Regul. verb. Ignorantia, numero 21. & segg. vbi citat Nauarrum, & Rodrig. vide etiam Curiel. in part. 2. quæst. 76. art. 4. dub. 5. Valentiam tom. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 1. coroll. 9. Henric. libro 13. cap. 23. num. 2. Suar. de censur. disput. 4. sect. 9. numero 19. Auilam part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 5. & dub. 7. Sayrum de cens. lib. 1. cap. 18. numero 37. Castrum Palaum tom. 1. tract. 2. disput. 1. punct. 17. numero 8. Duard. in Bull. Cæn. lib. 1. cap. 2. quæst. 5. numero 27. & Bonacinam de cens. disp. 1. quæst. 2. punct. 1. numero 13.

At tradita doctrina, quod scilicet censura, & quæcunque alia poena non liget ignorantes, excipi debet, nisi sit ignorantia crassa, seu supina, cit. cap. 2. de consuet. à censuris enim, & ab aliis poenis non excusat ignorantia affectata, seu directè volita: hæc enim voluntarium culpæ non minuit, quin potius malitiam directam, seu ex proposito, & dolum formalem includit: quapropter (sicuti supra dicebam) multi Doctores satis probabiliter

habilitate censent, quod si censura, vel quæcunque alia pœna feratur contra eos, qui scienter, consulto, temerario ausu, vel præsumptione quidpiam fecerint, contrahatur etiam ab iis, qui cum affectata ignorantia fecerint; secus si cum non affectata, quamvis crassa, & supina; quia ignorantia crassa, & supina directam malitiam, ac dolum formalem non continet, sicuti continet ignorantia affectata, quamvis si ignorantia sit nimis crassa, in externo foro interdum ignorantia affectata, & dolo æquiparetur.

Itaque tradita doctrina, quod scilicet censura, & quæcunque alia pœna non liget ignorantes, intelligitur solum de ignorantia, quæ sit minor, quam est ignorantia crassa, seu supina, nedum quam est ignorantia affectata, seu directè volita, licet alioquin sit vincibilis, & culpabilis.

Obiices: ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat à peccato: ergo neque excusat à censura, & cæteris pœnis.

Respondetur, transeat antecedens: at nego consequentiam, & do instantiam, quia adhuc qui ex graui metu mortis, infamiae, &c. transgreditur legem, vel præceptum Ecclesiæ, is in opinione probabili multorum (quamvis interdum à culpa, etiam mortali, non excusetur, si scilicet violet legem, quæ naturaliter etiam obligat) tamen non contrahit censuram annexam; verbi gratia qui graui metu inductus matrimonium contrahit, & consummat cum consanguinea, licet mortaliter peccet, non tamen contrahit excommunicationem latam in Clement.

unic. de consanguin. & affin. Sic Suarez de legib. lib. 3. cap. 30. numero 14. item qui graui metu adactus remigat in turrem Turcarum contra Christianos, quamvis ex probabili mortaliter delinquat, non tamen contrahit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra eos, qui Turcis, & aliis Christiani nominis hostibus auxilium quomodolibet præstant; sic Nauar. cap. 27. numero 63. & in cap. ita quorundam, de Judais, notab. 11. Idque ex eo, quia, inquit ipsi, ad censuram contrahendam requiritur contumacia, & interpretatiuus contemptus: at qui ex graui metu peccat, alioquin non peccaturus, is non censetur contumax, neque delinquere ex contemptu Ecclesiæ, sed ex mera infirmitate, seu fragilitate naturæ; tum quia in ordine ad forum

externum, & leges positivas Ecclesiæ grauis metus censetur iustus, & probabilis, quamvis interdum, spectato iure naturæ, à peccato mortali non excuset; sicuti ex communi sententia Doctorum docet Nauar. capite 27. num. 63. & in cap. ita quorundam, notab. 11. num. 18. de Judais, Suarez cit. disp. 4. sect. 3. num. 14. contra Sanch. de marim. lib. 9. disp. 31. num. 4. Ergo sic similiter in casu nostro dici poterit, cum ea, quæ sunt de iure positivo, ordinarie non obligent cum tanta seueritate, sicuti obligant ea, quæ sunt de iure naturæ.

Non obstat, quod in cap. sacris, de iis, quæ vi, metusue causa sunt, Pontifex dicat, quod qui communicat cum excommunicato per vim, seu coactionem, is excommunicationis censuram effugiat, qui verò ob metum (cum pro nullo metu culpam mortalem committere debeat) non effugiat.

Respondetur enim (omissis variis huius capituli interpretationibus, vt videre est apud Abbarem ibid. & Vasquez 1.2. disp. 161. cap. 4.)

quod Pontifex ibi voluerit tradere differentiam inter coactionem, & metum; quod scilicet coactio, seu vis semper à censura excuset; quia simpliciter aufert voluntarium, ideoque aufert omnem culpam, consequenter & omnem pœnam in culpa fundatam: at verò metus non sic, quia relinquit voluntarium simpliciter, ideoque culpam omnem non aufert; quando verò, non obstante metu etiam graui, censura contrahatur, Pontifex ibi non explicat. Explicari tamen potest cum Suarez, disputat. 4. sect. 7. num. 8. Auila de censur. pari. 2. cap. 6. disputat. 1. dub. 2. & 3. & Coninch. disputat. 13. dub. 15. quod quotiescunque actio per censuram prohibita, ratione alicuius circumstantiæ est intrinsecè mala, tunc solum eam, quamvis ob grauem metum, exercens, contra Ecclesiasticam etiam legem delinquat, & pœnam eius (vt censuram, vel irregularitatem, &c. contrahat vt si Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, graui metu adactus confessionem audiat, & absoluat non sine irreuerentia Sacramenti, quod tali casu inualidè administratur, vel si alter graui metu inductus communicet cum excommunicatis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, vel cum Christianæ Religionis detrimento: quia in his, & similibus casibus Ecclesiastica etiam lex obligare videtur, vt non obstante quouis priuato incommodo bonum publicum Ecclesiæ, ac Christianæ Religionis honor defendatur.

Cæterum, vt intelligatur, quamnam sit ignorantia crassa, seu supina, & quamnam sit ignorantia affectata, sciendum est, quod ex S. Th. 1. 2. quest. 6. artic. 2. communiter recepto, ignorantia in communi diuiditur in antecedentem, & consequentem. Antecedens ignorantia dicitur, quæ nec directè, nec indirectè voluntaria est; siquidem ideo antecedens vocatur, quia omnem voluntatis actum antecedit; ideoque prorsus inculcata est: quapropter dici etiam solet ignorantia iusta, probabilis, inuincibilis; quia morali diligentia superari non potest, eo quod operanti nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de contrario; vel etsi in mentem venit, tamen adhibita diligenti inquisitione, ignorantiam superare, & veritatis cognitionem acquirere non potuit. Consequens ignorantia dicitur, quæ aliquo modo voluntaria est, ideoque consequitur voluntatem directam, vel indirectam; quapropter culpabilis est, si versetur circa rem cognosci necessariam; & dici etiam solet ignorantia iniusta, improbabilis, vincibilis; quia superari, seu tolli, & veritatis cognitio acquiri potuisset, & debuisset.

Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectatam, & non affectatam; quæ (sicuti tradit S. Thom. quest. 76. artic. 3. & Ioan. Gerson pari. 2. tractatu de natura, & qualitate cognoscencia, §. est præterea, ad finem,) in hoc differunt; quod illa est directè voluntaria, hæc indirectè: quapropter ignorantia affectata est, cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, siue ob discendi pigritiam; siue, vt legis obligatione ignorata, excusationem habeat, vel liberior peccare possit: estque hæc ignorantia interdum concomitans, & non causa operis, vt quando ignarus ita dispositus est, vt etsi sciret obligationem legis, adhuc non pareret: interdum autem est causa operis, vt si ignorantia sublata, faceret quod lex iubet.

Ignorantia verò non affectata, quæ sicuti dicebamus

cebam, est tantum indirecte volita; altera est crassa, lata, seu supina; ad quam scilicet tollendam nulla, vel modica adhibetur diligentia (qualis ignorantia plerumque esse solet earum rerum, quæ communiter ab eiusdem conditionis, ac status hominibus cognoscuntur) quapropter ignorantia crassa, lata, seu supina est, quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur, siue quam quis facile, cum posset, & deberet, deponere negligit: omnino tamen hic requiritur, quod operans habuerit aliquam suspensionem de legis obligatione, eiusque pœnis, vel censuris, & non obstante hoc, nulla, vel penè nulla adhibita veritatis indagatione, opus prohibitum exequatur, non sine virtuali contumacia, & interpretatio contemptu legis, eiusque pœnatum, vel censuratum. Vide Sotum in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. §. ex his primum. Suar. de censur. disput. 4. sect. 10. numero 4. Sanch. de matrim. lib. 9. disput. 32. numero 32. Coninch. disputat. 13. dubit. 11. Altera est non crassa, non lata, seu non supina; quæ scilicet non tam facile superari potuit, vel ad quam superandam diligentia adhibita est, sed non sufficiens.

An autem hæc ignorantia non crassa, non lata, seu non supina sufficere possit ad culpam mortalem.

Negant Sotus numero 4. distinct. 29. quæstione 1. art. 2. Graff. part. 1. decis. lib. 4. cap. 9. numero 20. Villalob. in Summ. tom. 1. tractatu 16. dub. 12. numero 6. & Suar. de censur. disput. 4. sect. 10. numero 10. quatenus aiunt, quod omnis ignorantia mortalis, sit crassa, lata, seu supina (quamvis ignorantia hæc latitudinem habeat, ut possit esse, vel valde crassa, lata, & prorsus supina, vel minus crassa, lata, & non prorsus supina; omnis tamen ignorantia hæc, utpotè crassa, lata, seu supina, ut sic, mortalis sit.) Quæ autem ignorantia venialis est, sit non crassa, non lata, seu non supina, & levis.

Affirmant Sanch. libro 1. moral. capite 16. numero 7. & de matrimo. libro 9. disput. 32. numero 31. Portel. in addit. ad dub. Regular. verb. Ignorantia, numero 25. Diana part. 3. tract. 5. resol. 23. Bonacina de censur. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 10. & Barbosa in Collect. tom. 3. lib. 1. Sexti Decret. tit. 2. cap. 2. numero 7. & S. quatenus aiunt, quod etiam non crassa, non lata, seu non supina ignorantia sufficiat interdum ad culpam mortalem. At quæstio videtur de nomine: prioris tamen sententiæ modus loquendi mihi magis probatur, consulendus, & sequendus in praxi.

DVBITATIO LX.

An excommunicatio in dicto Motu Gregorij XIII. lata in facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, sit Pontifici reservata, sicuti est reservata, quæ in eodem Motu fertur contra ingredientem virtute prædictarum facultatum? Vbi etiam de aliis pœnis.

SUMMARY.

1. Excommunicatio in Motu Gregorij XIII. lata contra facientes, vel permittentes ingredi

virtute facultatum est Pontifici reservata, sicuti est reservata qua in eodem motu fertur contra ingredientem virtute prædictarum facultatum.

2. Pœna reservata in dicto motu Gregorij XIII. excepta excommunicatione, non sunt reservata Pontifici, & ideo auferri possunt per inferiorem.
3. Absolvere quis possit à dicta excommunicatione, & in pœnis dispensare, vide ibi.

Respondetur affirmatiue, quia cum Pontifex præmiserit excommunicationem sibi reservatam in ingredientem virtute facultatum, consequens est, quod si excommunicatio prior sit reservata, reservata etiam sit & hæc posterior, quia Summus Pontifex eandem excommunicationem infert in facientes, & permittentes ingredi, ac intulerat in ingredientem, ibi: Sub eadem excommunicationis pœna, &c. at in istos intulerat excommunicationem reservatam, sicuti dicebam, & patet ex textu: ergo, &c. Llamas in Append. §. 12. in princip. Suar. tom. 5. in 3. part. disput. 22. sect. 6. num. 14. Confestius tit. 20. cap. 6. ad fin. & cap. 9. numero 3. & Bonac. de clausura, quæst. 4. punct. 6. numero 7. Alias verò pœnas hic non reservat sibi Pontifex: quapropter auferri illæ poterunt ab iis, quos dicebam aub. 28.

Cæterum, an ab hac vera excommunicatione Pontifici reservata, si sit occulta, possit absolvere Episcopus virtute Tridentini, vel Confessarius virtute Bullæ, vel Religiosus virtute privilegiorum suæ Religionis? Vide supra cit. dub. 28. & infra dubit. 69. 81. & 82. Item an à pœnis in dicto Motu appositis, scilicet à privatione officiorum, & inhabilitate ad illa, possit dispensare alius, quam Summus Pontifex? vide dubit. 29. Vide item an ad dictas pœnas incurrendas requiratur sententia iudicis, dubit. 23. Item tandem quid intelligatur nomine officiorum? vide dubit. 24.

DVBITATIO LXI.

An, & quæ personæ facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum contrahant excommunicationem, & cæteras pœnas dicti Motus Gregorij XIII.

SUMMARY.

1. Superiores utriusque sexus tantum secundum probabiliorem opinionem contrahunt excommunicationem, & cæteras pœnas, ut privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, latis in motu Gregorij XIII. contra facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum.
2. Verba (quocumque nomine vocentur) satis clare denotant motum non loqui de privatis Religionum personis.
3. Sententia prædicta rationibus confirmatur.
4. Admittens ingredientem ad malum finem, etsi non ex prætexu licentia, non contrahit excommunicationem Tridentini.
5. Scribens, vel mittens ad Monialem literas etiam obscenas, non contrahit excommunicationem contra loquentes latam.
6. Participans cum excommunicato in crimine criminis